

# Epistola ad [...] Christoph. Aug. Heumannum, [...]

Autor(en): **Breitinger, J.J.**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1750)**

Heft 19

PDF erstellt am: **12.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394677>

## **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## **Haftungsausschluss**

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

---

## EPISTOLA

*ad summe venerandum, amplissimum, eruditissimum Virum,*

**CHRISTOPH. AUG. HEUMANNUM,**

*S. Theol. D. & sanctioris Disciplinae in Illustr.  
Gœting. Acad. Pr. P.*

qua ejus Judicium (\*) de 'Αυθεντικῆς Clausulæ  
O. D. modeste expenditur.

**Q**Uoniam ea Veritatis vis est, ut quo sæpius atque diligentius ad examen revocata limatur, eo magis enitescat, dudum ego met mihi persuasi, nullam dari veri nominis Prudentiam, quæ a Veritatis studio sit se-

F f 2

juncta,

---

(\*) Docebit etiam ex parte hæc Epistola, quam protervus, calumniæ & mendacii plenus sit infelix iste abortus, turpiter festivi hominis & personati Scurræ Turicensis, qui sub usitata sibi Sanonomotuskii larva delitescere voluit, ne, quod revera est, tanquam sacer & instabilis cognosceretur, qui rectius Σαλανομοσκii aut Ποδαληρολόγæ nomen sibi usurpasset, ne illud nimium ablueret ab ingenio maledici hominis & ab infami Scripto, duobus folijs constante, comburio non ab auctoris, sed a carnificis manu dignissimo. Caveat sibi, ne usquam verum suum nomen prodatur, ut prodidit ingenium, neque se in turba latere posse sibi persuadeat, non habet Turicum alios duos ipsi similes, ut non facile aberrare possit, qui eum quamvis frequenti hominum turbæ permixtum petitione lapidis designare velit, utur magis cautum, quam illum nescio quem, qui lapidis petitionem sorpore exeundo se facinoris reum prodidit; omnis est

juncta, neque ullam Veritatem posse esse aut adeo  
 suspectam, ut vel rigidissimi examinis lucem re-  
 fugiat; aut adeo sterilem, ut non omni studio  
 nostro magnopere digna sit. Et quanquam ipsa  
 Religione atque etiam pia S. Literarum veneratio-  
 ne nihil mihi prius & antiquius esse solet, ego ta-  
 men non intelligo, quid sit, quod sibi vel Reli-  
 gio vel sacri Contextus auctoritas a genuinæ Criti-  
 ces studiis & judiciis magnopere timeat: Etenim  
 manifestum esse arbitror, non posse sine recto  
 Critices usu S. Scripturæ, quantum quidem ad  
 hodiernæ ejus Lectionis integritatem pertinet, su-  
 am constare certitudinem, neque quomodo sese  
 aliter, quam hujus Artis beneficio, adversus In-  
 credulorum impressiones & dubitationes, tueri  
 aut sartam tectam conservare possit, intelligo. At-  
 que etiam, quandoquidem divina Sapiencia omnia  
 sinceræ Lectionis præsidia in legitimo Critices usu  
 reposita esse voluit, optime de Ecclesia & divini  
 Verbi integritate illi mihi meruisse videntur, quot-  
 quot religiose & uno veri cognoscendi studio in-  
 censi, in dubiis Lectionibus critica diligentia exa-  
 minandis ac discernendis operam suam colloca-  
 runt. Neque vero hic morari quenquam debet  
 profanorum hominum insolentia, qui omnia cu-  
 pide arripiunt, iisque ad obfirmandum in incre-  
 dulitate animum flagitiose abutuntur, quibus divi-  
 nam S. Pandectarum certitudinem & auctoritatem  
 imminui & labefactari, aut suspectam reddi posse,  
 temere sibi persuadent. Nam quicquid etiam agas,  
 non

---

ror, qui quidem hic locum haberet, esset inter Satanos-  
 kium & Anomoskium: perinde ut nihil interest inter A.  
 & C, nisi B, aut inter F. & H, nisi unum illud G.

non deerit unquam huic hominum generi, qui amant ἐν οἷς ἀγνοῶσι βλασφημεῖν, materies & occasio impiis suis cavillationibus indulgendi, atque infestos in Religionem animos specioso aliquo prætextu confirmandi: Immo aut magnopere fallor, aut affectato de his rebus Silentio tantum abest ut veritati recte consulatur, ut illa magis adhuc suspecta reddatur; etenim hoc Silentium nostrum eam in partem accipient, quasi a causæ propugnandæ diffidentia aut desperatione foret profectum.

Quanquam vero res ita se habeat, ut omnia opera, quæ in examine variantium ac maxime dubiarum Lectionum, unico veri cognoscendæ studio ac religiosa diligentia insumitur, non possit non ad confirmandam nostram de Lectionis certitudine fidem, quam maxime esse proficua: nihilominus tamen ea est universæ hujus tractationis ratio, ut non possit a quovis promiscue, docto cæteroquin & sagaci Viro, recte suscipi, aut ab omnibus sine discrimine lectoribus intelligi riteve dijudicari. Quamobrem probare ego quidem non possum illorum consilium, qui nihil pensi habent, hujus generis disputationes de dubiis Lectionibus in circulis, in vulgaribus libellis, coram promiscua plebe, quæ rationes in neutram partem, neque illorum, quibus in hoc genere usus est, argumentorum vim assequi valent, instituere: aut qui in oppugnanda vel propugnanda aliqua Lectione ita oscitanter versantur, iisque nituntur rationibus, quæ parum idoneæ plerisque videri possint. Quapropter non parum miratus sum, quum animadvertissem Te, Virum amplissimum, in tuis in S.

Matthæum Annotationibus vernaculo fermone promiscuæ lectioni propositis vexatam illam in utramque partem Quæstionem de *Auſertica* Clausulæ O. D. leviter attingere, atque tribus pagellis vulgatæ opinionis defensione ita defungi, quasi nullius ponderis aut momenti essent, quæ a venerando *Bengelio*, post alios, in contrariam Sententiam sunt expositæ rationes: In quo parum recte mihi & causæ ipsi & existimationi Tuæ consuluisse videris: etenim meo judicio multo satius est hanc causam penitus omittere, aut summa eam diligentia tractare; siquidem ea majoris operæ & altioris indaginis est, quam ut in ejus generis Libello, qualis iste Tuus est, idque tribus pagellis, possit disceptari: Et præstat omnino hujus generis Quæstiones non movere, quam perfunctorie eas tractando piis Lectorum animis dubitationes injicere, quas deinceps vix possis, quicquid etiam agas, satis diluere atque dispellere.

Quod deinde ipsam rationem adtinet, qua Tu Vir Amplissime, in tractanda hac Quæstione versaris, non possum non, ut Helvetico candore Tecum agam, & Æquitatem Tuam & criticam illam Judicii *ἀρχινοίας*, qua impense vales, desiderare. Et Æquitatem quidem in eo, quod mihi confidenter tribuis, quasi vener. *Bengelii*, atque ipsius *Erasmi* rationibus inductus assa voce negaverim, Clausulam doxologicam ad O. D. integritatem pertinere; sed ab ea tanquam humanum aliquid additamentum separandam esse. Verba Tua ita habent: *Doch ich stehe hier noch ein wenig stille, weil Herr Probst Bengel des B. U. in seinem Appar. Crit. ad N. T. p. 459. seqq. in starken Verdacht*

Verdacht ziehet, als seye derselbe von einer fremden  
 Hand eingeschoben worden: Und Herz Prof. Breis-  
 ringer in dem III ten Bande des Musei Helv. S.  
 370. u. f. f. so wol durch dessen, als durch Erasmi  
 Vorstellung, sich dermassen hat einnehmen lassen,  
 daß er gar nicht zweiffelt/ man müsse diese Worte  
 von dem B. U. Christi absondern und ausschliessen.  
 Tuam fidem! Non certe is ego sum, qui in re dubia &  
 quæ nondum ad liquidum est perducta, tantum mihi  
 sumam, ut in alterutram partem quicquam teme-  
 re pronunciem. Expendi argumenta & in trutina  
 mea castigavi, quæ vulgo pro *Audētia* Clau-  
 sulæ adduci solent, & ea quæ momentum ali-  
 quod in hac causa habent, a cæteris, quæ pror-  
 sus aliena esse videbantur & foliis leviora, diligen-  
 ter segregavi: Professus sum candide, quid obstet,  
 quominus huic vel illi ex adductis rationibus ple-  
 num assensum præbere, & album calculum adji-  
 cere possim. Atque post serium hujus Quæstio-  
 nis Examen probe intelligo, non deesse argumenta  
 in utramque partem: Quanquam potiora esse &  
 majorem præ se ferre probabilitatis speciem illa  
 mihi hactenus videantur, quæ hujus Læctionis  
 apud S. Matthæum *γνησιότης* oppugnant, quam  
 quæ illam propugnant. Nihil tamen definii un-  
 quam, aut nunc definitio, quia alteram quoque  
 Sententiam suis non destitui probabilibus rationi-  
 bus pulchre perspectum habeo. Quare velim ita  
 de me statuas, nunquam Tibi cum alio homine  
 in quacunque causa rem fuisse aut fore in poste-  
 rum, qui majore veritatis cognoscendæ studio in-  
 census fuerit, aut futurus sit, aut qui ei Senten-  
 tiæ, quam hactenus potioribus rationibus niti per-  
 suasum habet, minus saveat ex animo: Atque si

meræ voluntatis res esset animi persuasio, certe vulgaris & receptæ de *Audensia* Clausulæ opinionis rationis nunquam sollicitare aut in dubium vocare in animum induxissem meum. Cæterum & hoc non prætermittendum est, singularis pietatis esse, quam summis illis Viris debemus, quorum opera Deus in restauranda veræ Religionis puritate ac simplicitate usus est, ostendere, non temere illos, aut cœco quodam assensu, aliisve frivolis de causis, Clausulam illam O. D. tanquam non a Christo profectam, aut penitus expunxisse, aut quod in vestra Ecclesia factum est, ab usu publico ad altare proscripsisse.

Deinde vero in hac Tua, Vir Clarissime! tractatione dixi me desiderare, criticam illam ἀρχι-  
 νοικα, qua toties res impeditas ita feliciter expedi-  
 visti, ut omnes fuerint mirati, qui factum sit, ut ante Te nemini hæc explicandi ratio potuerit venire in mentem. Hic vero mirari subit, qui fieri potuerit, ut Tibi Viro tam docto, tam perspicaci leves adeo & inanes ratiunculæ fucum facere potuerint. Primum enim male videris confundere duas Quæstiones, quæ toto cœlo diversæ nihil inter se commune habent: Quæritur enim hic ante omnia, utrum Doxologia illa O. D. adjecta apud Matthæum pro genuina & a Domino profecta sit agnoscenda? Neque locus est alteri Quæstioni, unde forte hæc Doxologiæ formula fuerit repetita? nisi prius fuerit probatum eam apud Matthæum esse interpolatam. Verba Tua hæc sunt: Ich will meine Gedanken kürzlich vortragen, und hiermit den Anfang machen, daß Erasmus diese Worte vor eine in den alten Kirchen gewöhnliche Doxologie

gie hält. Dieses kan ich dem Erasmo deswegen nicht zugeben, weil diese Worte, wie selbst Herz Bengel bekennet, die Gestalt einer Doxologie nicht haben, sondern mit dem Vorhergehenden durch ὅτι verknüpfet sind. Quis est, qui non per se intelligat, etiamsi esset probatum hujusmodi Doxologiam in veteri Ecclesia prorsus fuisse ignoratam, nihil pro Ἀυθεντικῆ Clausulæ doxologicæ apud Matthæum inde inferri posse. Atqui vero non ab Erasmo solo, sed ab omnibus iis etiam, qui hujus Clausulæ γνησιότητι propugnant, sumitur, atque evidentissimis & irrefragabilibus testimoniis confirmatum est, eandem fere Doxologicam formulam in Judæorum Synagogis & in prima Ecclesia Græca in Ἐυλογίας varie ac passim fuisse usurpatam. Quis autem sibi persuaserit, illud ὅτι, quod hanc Doxologiam cum reliqua O. D. formula connectit, eique Ἀιολογίας insuper formam induit, impedire, quominus potuerit ex hoc Synagogæ aut Ecclesiæ Christianæ usu transfumi, si quidem doceri posset, eam non fuisse a Domino profectam. Ut taceam hanc Δοξολογίαν olim in Ecclesia Græca perinde cum aliis Precum formulis per ὅτι fuisse conjunctam, ut ex Gregorio N. constat: Vide Bengelii Appar. Crit. ad Matth. VI. p. 465.

Quandoquidem vero Tu ipse, Vir venerande! non multum tribuere videris huic Tuæ hallucinationi: videamus, quænam graviora illa sint argumenta, quæ Tibi plenum extorserint assensum. Dicis: Doch ich wende mich zu dem, was mich völlig versichert hat, daß diese Worte mit aus Christi Munde geflossen, und also zu dem uns vorgeschriebenen Gebete wesentlich gehören. Es stehen



nemlich diese Worte nicht nur fast in allen noch jetzt vorhandenen alten griechischen Codicibus; sondern haben auch fast in allen nicht mehr vorhandenen uralten griechischen Codicibus gestanden. Das erste hat bey den Herren Criticis keinen Zweifel, daß andere lehret uns der uralte Syrische Uebersetzer, welcher, da er diese Worte vorbringt, sie notwendig in noch ältern und in seiner Kirche von Alters her bewährten griechischen Exemplarien muß angetroffen haben. So ist auch in der Kaiserlichen Bibliothek ein sehr altes griechisches MSC. des N. T. (welches Herz Bengel S. 462. anführet) befindlich, in welchem nicht nur diese Worte nicht stehen, sondern auch auf dem Rande zu lesen ist, daß diese Worte in einigen griechischen Exemplarien fehlen. Helfet dieses nicht: Sie stehen in den meisten Exemplarien? So wissen wir demnach, daß sie in den ältesten griechischen Exemplarien gestanden. Verum quidem est, quod in plerisque hodie adhuc superstitis græcis MSC. Codicibus Clausula hæc apud Matthæum inserta legatur: Quoniam vero Lectionis in h. l. varietas longe antiquior est hodiernorum Codicum consensu, levis, immo nulla fere videtur esse Librorum MSS. hodie superstita in hac caussa disceptanda auctoritas. Id vero, quod præcipuum in hac re momentum habet, gratis sumitur, quasi etiam in antiquissimis ac dudum deperditis Græcis MSS. Codicibus Clausula isthæc fuerit lecta. Quis nobis hujus asferti fidem faciet? quum ejus ante Chrysostomi ætatem nullum certum in omni antiquitate ecclesiastica vestigium reperiatur. Et si dicere liceat quod sentio, præceps, manca & imbecillis mihi videtur illa Tua, quam instruis, argumentandi ratio:

Quant-

Quanquam enim Syriaca N. T. translatio, qualis hodie extat, hanc Clausulam apud Matthæum præferat; neutiquam tamen inde colligi potest; Ergo Græci Codd. antiquissimi, ex quibus hæc Translatio primum proflexerat, hanc Clausulam quoque agnoverunt. Primum enim quis compertum habet, an unus, an plures fuerint Græci Libri, ex quibus Syriaca olim translatio confecta est? Deinde quum extra dubitationem positum sit, Syriacam Versionem, qualis hodie legitur, plures subinde mutationes passam varieque interpolatam esse, quis nobis fidem faciet, priscam & intemeratam nobis in hoc Matthæi loco antiquæ Versionis Lectionem conservari? Præterea si hæc argumentandi ratio valeret, oporteret contraria simul posse esse vera: Quum enim prisca Latina Versio Syriacæ antiquitate nihil cedat, æquo jure & perinde colligi posset, in antiquissimis Græcis Codd. ex quibus hæc Translatio confecta est, Clausulam O. D. non extitisse. Ut nihil jam dicam, quod posterior isthæc concludendi ratio longe majorem probabilitatis speciem habet, quia, quod de Syriaca non constat, de Latina versione testatum est, eam jam olim, Tertulliani ævo, hanc Clausulam ignorasse. Sed multo levioris momenti est alterum Tuum argumentum ex nota marginali Codicis MSC. membr. IV. Evangg. augustissimæ Biblioth. Vindobonensis repetitum. Quandoquidem enim certum & exploratum est, hunc Codicem Vindobonensem antiquitate Sæculum post C. N. XII. non superare, manifestum est, Codices illos, ad quos in margine provocat, quique Clausulam doxologicam non habuerint; Theophylacti ævo posteriores fuisse, & nihil

nihil aliud ex nota illa marginali, τὸ δὲ ὅτι σὲ ἐστὶν ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα, ἐν τισὶν εἰ κεῖται μέχρι τῆς Ἀμὴν, cum ratione concludi potest, quam Sæculi X. XI. XII. græcos N. T. Codices in Clausula apud Matthæum recipienda non consensisse. Quod vero deinceps hanc Tuam persuasionem conficta aliqua ratione probabilem reddere satagis, id adeo communi experientiæ repugnat, ut nulla refutatione indigeat: Subjicis enim in hanc sententiam: **Daß sie (die Doxologie) in etlichen nicht gestanden, wundern wir uns nicht, indem ein Abschreiber leichtlich eine Zeile übersehen kan. Daß aber ein Abschreiber in das 5. Buch eine fremde Zeile einrücken werde, ist billig nicht zu glauben.** Hoc autem si valeret, nihil in S. Librorum MSS. Codd. unquam de additamento fuisset suspectum.

In eo vero parum recte calculos subduxisse videris, quum præterea contrariæ Sententiæ non aliud reliquum esse præsidium Tibi persuades præter hoc quod in Latina Vulgata Versione positum sit: Cujus etiam vim Tu nova aliqua ratione infringere conaris. Verba Tua ita habent: **Daß aber die meisten lateinischen Kirchen-Lehrer diese Worte in ihrem Exemplar nicht gehabt, solches dienet zu keinem tüchtigen Argumente. Denn dieses kam daher, weil sie alle die so genannte Versionem Vulgatam im Gebrauche hatten, als in welcher diese Worte nicht stehen. Es bleibet also dem Gegentheile nur dieses Argument übrig: welches auch einen nicht geringen Schein hat. Denn diese Uebersetzung ist unstreitig uralt, und deren Verfasser würde ja diese Worte nicht aussen gelassen haben,**

ben, wenn er sie in seinem griechischen Exemplare gefunden hätte. Allein dieses Argument fällt plötzlich um, wenn man eben dieselbe Version bey dem B. U. in dem Evangelio Lucæ ansiehet. Denn daselbst stehet erst nur Pater anstatt Pater noster, qui es in cœlis: Hernach sind zwey Bitten, nemlich die dritte und die siebende, gar aussen gelassen. Da nun dieser Uebersetzer in des Lucæ B. U. drey peccata omissionis begangen, warum wollen wir denn nicht glauben, daß er auch in dem B. U. Matthæi ein solches peccatum begangen habe? Quæ autem isthæc argumentandi ratio? Si Italicæ Translationis auctor antiquissimus in Lucæ textu quædam prætermisit, ergo probabile est, eundem etiam apud Matthæum in O. D. Formula quædam omis- sisse. Quæ hic consequentiæ necessitas? Equidem non est inter ἀδύνατα referendum, eum qui in plu- ribus fallitur, posse etiam in aliis, in hoc vel illo, falli. Qua vero ratione imputabimus antiquæ La- tinæ versionis auctori in Matthæi formula omis- sionis peccatum; antequam probatum fuerit idoneis argumentis Doxologiam illam in primis MSS. Li- bris græcis, ex quibus translatio facta est, fuisse lectam? Vel unde quæso Tibi constat, Latino In- terpreti, quæ in S. Lucæ formula notas omis- sionis peccata, esse transferibenda? cum temeraria isthæc textus Lucæ castigatio æque potuerit a Mar- cionitis aliisque proficisci. Atque oppido miror, qua fi- ducia hic possis inter omissionis peccata referre, quæ ipse supra p. 66. omni, sed parum felici, cona- tu *νοθείας* suspecta reddere voluisti. Ita enim verba facis: Wir erkennen hieraus, daß das B. U. eigentlich nur aus fünf Bitten bestehe. Denn daß die beyden letztern Bitten zusammen gehören, machet

machet das Verbindungs-Wörtgen Sonnen-klar. Daß aber auch die andere und dritte Bitte nur auf eins geben, und also zusammen nur eine Bitte machen, bedarff keines langen Beweises. . . . Noch klärer würde es erwiesen seyn, wenn auffer allem Zweifel gesetzt werden könnte, daß in das B. U. wie es Lucas aufgezeichnet, diese Worte: *Es geschehe dein Wille / wie in dem Himmel also auch auf der Erde / von einer fremden Hande eingerüket worden.* Es hat diese Meynung einen grossen Schein, indem Origenes und Augustinus solches bezeugen, wie auch nicht nur in einigen alten geschriebenen Exemplarien des N. T.; sondern auch in der uralten lateinischen Uebersetzung desselben, diese Worte wirklich fehlen. *Perinde mihi videtur comparata superior ista Tua argumentatio, ac si quis ex his Tuis verbis vellet probare ac inferre, Te non posse non Doxologiam apud Matthæum O. D. formulæ adjectam pro additamento habere. Si enim plerique Codices græci in Lucæ formula duo additamenta in textum receperunt, quid impedit, quominus credamus eosdem in S. Matthæi formula Clausulam illam quoque per errorem textui adscripsisse? Cæterum prudenter fecisti, quod illam rationem, quæ a Doxologiæ hujus in se spectatæ concinnitate, dignitate ac sapientia repeti solet, non urgendam esse censueris adversus eos, qui de ejus *γνησιότητι* dubitant: Nihil enim in ejus commendationem dici potest, quod non ipsi quoque lubentissime admittant, immo majora aliquando in eam præconia conferant,*

Possis

Possis autem ipse videri superiori huic Tuæ tra-  
ctationi minus tribuere, postquam finitis demum  
& jam typis exscriptis superioribus istis Tuis ani-  
madversionibus, ad pleniorē illam & accuratio-  
rem vulgatæ opinionis defensionem accessisti,  
quam Eruditissimus Ulmenſis Eccleſiæ Senior JO.  
FRICKIUS in libello *de Cura veteris Eccleſiæ circa  
Canonem Scripturæ S.* Cap. IV. a pag. 140-161. ex-  
hibuit, & in qua Te prorsus acquieſcere mones p.  
741. At hanc Celeb. Frickii commentationem  
jam dudum Vener. BENGELIUS & ego expendi-  
mus, nihilque habet quod non perinde quoque a  
Celeb. *Witſio, Oleario, Oſiandro*, aliisque in hujus  
cauſſæ Defensionem fuerit prolatum.

Plura non addo, niſi hoc unum, ut pro Tua  
humanitate æqui bonique conſulas, quod non ex  
*φιλονομία*, ſed uno veritatis promovendæ ſtudio,  
conſilii mei ac Sententiæ in expendenda hac cauſſa  
rationes, quas intelligebam abs Te in Tuis ad  
Matthæum Annotationibus in alienum Senſum  
trahi, publice Tibi explicare, ac excuſare non  
dubitaverim. Hanc veniam damus petimusque  
viciffim. Vale Vir ampliffime ac celeberrime,  
atque in eorum numerum, qui Te ob ſummam  
eruditionem & præclara in rem ſacram & literari-  
am merita maxime colunt & obſervant, non po-  
ſſremum adſcribere dignare

*Tibi devotiſſimum*

J. Jac. Breitingerum,

*Ling. Græc. in Gymn. Turic. Prof. P.*

Viro